

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXXXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

S Binas tuas literas, quarum alteras Non. Januarii, alteras prid. Cal. Febr. datas video, accepi 13. Februarii sub vesperam. Et refectus sum illis vehementer, non quia tuæ erga me recordationis & dilectionis testes sint, de quibus dubitare nec potui nec debui, sed quia magna sollicitudine me liberarunt metuentem, ne quid humanitatis isthæc accidisset, grave & luctuosum, unde Ecclesiæ dispendium esset, ego dolorem haberem super dolorem. Neque enim tristius quicquam mihi accidit, quam cum organa salutaria & necessaria Ecclesiæ vel prorsus dejici, vel ex hac vita evocari accipio, quod non ignorem, hæc esse indignationis divinæ argumenta pridem usurpata erga populum, qui ipsum offendit impœnitentia & ingratitude. Cæterum quod morbo consueto conflictatus sis, non fuit prorsus inexpectatum. Sed laudo Dominum, qui & hunc paroxysmum mitigavit. Quem precor, ut tui & suorum misertus te benigne restituat & diutissime conservet incolumem. Pro *supplicibus* ex domesticis mea afflictione gratiam tibi habeo. Præsumpseram animo eam, nihil dubitans, quin ubi acciperes consortis meæ dulcissimæ mortem, vel ob meam ærumnam ingemisceres. Temperat dolorem meum Dominus varia per verbum consolationis dulcedine, & multorum hinc inde amicissimorum literarum pondus & acerbiteriam mitigant, quique mihi præstò sunt fratres & affines mei & mearum rerum curam diligenter fideliterque suscipiant, & tolerabili valitudine utor, ut re ipsa comperiam benignam Domini visitationem, paternamque providentiam, qua mea suffulciatur infirmitas; à quo id unum precibus contendo, ut cor meum & actus omnes spiritu suo regere dignetur & conservare, ut totus ex ipso pendens nomini sancto ejus glorificando & ædificationi Ecclesiæ deserviam, cursumque fide servata consummato sine beato claudam. De Illyrico doleo & invideo illi tantam duritiem, tum & ingratitude erga vos, quam pro summa erga ipsum fide reponit, nec attendit Sathanæ astutiam, id unum agentis, ut quæ dona illi egregia Dominus contulit, non inutilia solum sint, sed subversioni potius quam ædificationi Ecclesiæ serviant. Vobis tamen eum non magnopere nociturum esse confido, quod intemperiam, licet Cœli specie tectam nimis clarè patefaciat. Nos ad ipsius scripta idcirco nihil respondemus, quod judicemus, nos inanem sumptuos operam, cum nec argumentis doceri, nec ullis hortatibus eum flecti & leniri posse videamus. Sententiam meam ad Achatium, Durlacensem pastorem, de hoc negotio perscripsi, qui hoc requirebat ob scriptum Wigandi, ad principem Marchionem à Wilhelmo duce Saxonie missum. Apud nos novi nihil magnopere, nisi quod ex Gallia accipimus noves pontificis Romani conatus. Qui ubi intellexit, de connubio agitari inter Regis sororem & Navarrenum, missa legatione Cardinale ex eo ordine primo, id agit modis omnibus, ut nuptiæ detur illa Regi Portugaliæ juveni,

juveni, quo firmiter stabiliatur Anti-Christi regnum novo fulcro & minus excrescant ad frugem sparsa Evangelii in Gallia semina. Sed Dominus est, qui in medio etiam inimicorum regnat, conatus consiliaque eorumdem frangit & dissipat, nisi quid aliud peccata merentur. De caseis non est, ut præcium quæras, qui abundè compensati fuerunt, si levidense munus, qualiscunque mei erga te affectus inditium, boni consulas. Filiis tuis & meis Eslingæ de hospitio benè prospectum valde gaudeo. Scripsi ad eos his diebus per certum hominem, memor ipsorum in precibus meis infirmis, ut quos vehementer amo & spera eximiam in ipsis foveo. Heccelius mecum degit, moderate & piè se gerit, in studiis diligens, in moribus tranquillus & placidus. Sed bene vale Domine & frater reverende & dilectissime. Scripsi Basileæ, 17. Febr. an. 72.

T. d. totus

Sulcerus, D.

Priusquam has dimitterem, attulit alteras Nauta cum pecunia, quam pro equis conductitiis exposueram, nec accidit hoc triduo, quo de D. t. facerem certiozem. Saluta ux. collegas & familiam.

LXXXIIX.

SÆrumna Huldrici Theodorici fati nota est tibi, vir Reverende & charissime Frater, cujus ego vel idecirco misereor, quod vir videatur esse minime malus, nec à pietate abhorrens. Ac de delicto ipsius Ampliff. Magistratus vester piè statuit, ut justam severitatem experiretur, & declararet ipsius exterminio, nequaquam inultam fore intemperiem & libidinem: & hoc documento alii discant sibi cavere, ne parem indignationem cum Dei, tum ordinis sancti incurrant. At quia jam diu exul primum coram Deo humiliatus & contritus de vita ad sanctam penitentiam instituenda cogitat, & pœnas non persolvissè nullas videtur, judicari queat misericordiâ non proflus indignus. Eam verò ut consequatur, si aliquid præstari tuæ autoritatis interventu potest, cupio te illi non deesse. Neque id postulo, ut per te Magistratus interpelletur, quod minus fortè ministerio tuo congruere, aut ipsi etiam prodesse possit; sicubi tamen privatim compellandi hoc nomine nonnullus locus sit & occasio, piè, meo judicio, feceris, si eatenus afflictum juves, ne omnimodè & finaliter reiectus desperatione absorbeat. Non ago hoc pluribus, quod sciam, te egregiè pollere consilio, & ad pietatis officia singulariter incitatum. Bene vale, Vir reverende & charissime frater. Scripsi Basileæ, 25. Febr. Anno 1572.

R. d. t. totus

Simon Sulcerus.

LXXXIX.